

THESIS XVII.

Propria est quoque Primatus Romani Pontificis potestas recipiendi ex toto orbe appellationes a quocumque iudicio Episcoporum sententiamque ultimam ferendi super causis ab Episcopis iudicatis, non solum per iudices delegatos eo ubi causa exorta est, sed per se ipsum Romae. Proprium quoque ipsius ius est legatos suos mittendi in omnes orbis christiani partes.

I. *Appellatio in iure dicitur ab inferiore iudice ad superiorem provocatio rei ut lata a priore iudice sententia corrigatur ab altero vel revocetur.* Hinc iudex qui appellationem recipere potest, ius habet instituendi per se novum examen causae, ferendique sententiam definitivam, qua sententia prior vel confirmetur, vel rescindatur. Liqueat huiusmodi ius esse 1° aliud a iure simplici concedendi revisionem causae, quod verbis de Marca, quem confutare oportebit in quaestione hac de iure appellationum ad S. Sedem, explicare placet: « Discrimen quippe est (ait in Concordia etc. L. VII, c. 3, n. 6.) inter appellationem et revisionem. Illa namque integram causae cognitionem transfert ad iudicem superiorem, qui quaestionem excutit, et definit in suo tribunali. At revisio definitivum iudicium relinquit priori iurisdictioni, ea ratione ut prioribus iudiciis novi etiam adiungantur ». Non litigamus de huius alterius partis veritate; id tantum sumimus ut determinemus obiectum de quo est quaestio, quod est ius appellationis; de iure concedendae revisionis dicemus postea, quod proprium fuisse Imperatorum falso docet idem de Marca ibid. Liqueat 2° quoque ius recipiendae appellationis diversum esse ab eo quo exigitur ut Episcopi, cum in Synodo iudicaverint, referant quid gestum sit ad Romanum Pontificem, ut ipse vel probet vel improbet. Quod quidem ius etiam Hincmarus Remensis Pontifici concedit. (Vide infra). Subiectum ergo disputationis nostrae est ius *proprie dictae appellationis*. Duo probanda sunt: 1) quod Romanus Pontifex ius habeat excipiendi appellationes ex toto orbe a quovis iudicio Episcoporum, sententiamque ultimam ferendi; 2) quod cognitionem causae instituere sententiamque ferre possit ipse per se in suo tribunali Romae circa ea quae iam in Synodo Episcoporum iudicata sunt: quod alterum potissimum ab adversariis negatur.

Probatur utrumque ex natura Primatus. Romanus enim Pontifex gaudet plena potestate in Ecclesia, potestate ligandi et solvendi quoad omnia et omnes: atqui potestas ligandi et solvendi est potestas quoque sententias iudiciales sive absolutionis sive damnationis ferendi quoad omnes et omnia: atqui inter omnes et omnia,

quae subsunt huic potestati sunt quoque Episcopi, eorumque sententiae: ergo potestas Romano Pontifici competit ferendi sententiam iudicalem circa sententias ipsas Episcoporum, eorumque sententias vel rescindendi vel confirmandi. Huc autem redit ius appellationes recipiendi. Cf. testimonium Gelasii paulo ante citatum. Praeterea potestas Romani Pontificis est *immediata* in omnes fideles et *suprema*. Prout est immediata ius habet causas omnes uniuscuiusque fidelis cognoscendi et iudicandi: prout est suprema ius habet ut nulla sententia circa suos proprios subditos sit peremptoria citra suum consensum. Idcirco ius habet Romanus Pontifex rursus cognoscendi et iudicandi causam iam ab aliis iudicatam, et iudicandi quoque de sententia aliorum quia et ipsi sunt eius subditi immediati, ferendique ultimam peremptoriam sententiam, quae a sola suprema auctoritate ferri potest. Quia vero hoc ius proprium est Primatus, qui sicut personae Petri ita personae singulorum eius successorum competit, hinc ius istud potest personaliter sive per se ipsum Romanus Pontifex exercere.

Porro ex hoc constat Romanum Pontificem recipere posse appellationem ne dum Episcopi appellantis a iudicio Synodi Episcoporum, sed et clerici inferioris et laici appellantis a iudicio Episcopi; neque enim Romanus Pontifex qui est omnium superior immediatus minus est superior Episcopi, quam Synodi Episcoporum. Ius huiusmodi Romani Pontificis, cum sit ius ipsius Primatus, est ius divinum, quod proinde nec ab ulla humana aut Ecclesiastica lege originem habuit, nec ulla humana aut Ecclesiastica lege aboleri potest.

Hoc porro ius distinguendum est ab eius exercitio, quod ex voluntate ipsius Romani Pontificis diversum identidem esse potest, et plus minus temperatum. Ipsi enim supremi Principes noluerunt licere subditis in omnibus causis appellare, vel unam tantum in certis causis appellationem concesserunt; idque bonum publicum exposcebat. Idem quoque in iure canonico institutum est. Verum non nisi ineptissime quis exinde inferret non esse in potestate Romani Pontificis appellationes ex quovis iudicio recipere, cum ipsa temperamenta quoad praxim sint auctoritate eiusdem constituta.

II. Ast opponunt nobis veterem Ecclesiae praxim, canones Conciliorum, Episcopos sanctitate et doctrina insignes, qui huiusmodi appellationibus obstiterunt, suasque opponunt coniecturas, quibus testimonia antiquitatis sibi contraria in alium sensum detorquere contendunt. Itaque per instrumenta quoque et testes rem conficiamus. Incipiamus ergo a Concilio Sardicensi.

Concilium hoc CCC circiter Episcoporum habitum anno 346° oecumenicum fuit convocatione, celebratione, confirmatione; cuius rei

demonstrationem vide penes Marchetti in *Dissertazione polemico-canonica sopra il Concilio di Sardica: parte 1^a (1)*. Quod si seorsim ab aliis oecumenicis non enumeratur, id inde repetendum est quod nullum dogma fidei sanciverit, eiusque canones veluti appendix canonum Nicaenorum sint habiti, et sub censu Nicaenorum a Romana Sede semper citati. Canonum huius Synodi mentionem faciunt Patres Chalcedonenses in oratione ad Imper. Marcianum et laudibus extollunt eam Synodum, eamque se recipere significant non secus ac Constantinopolitanam et Ephesinam. Iustinianus Imp. ipse eam citat in suo edicto fidei.

Porro inter canones viginti et unum Sardicenses ad nostram quaestionem spectant tertius, quintus et septimus secundum ordinem Dionysianum. Advertendum est autem lectionem latinam horum canonum non esse versionem, sed esse originalem; cum maior pars Episcoporum Occidentalium fuerit, et Dionysius Exiguus in literis ad Stephanum id diserte testetur inquit: « Statuta quoque Sardicensis Concilii, atque Africani, quae latine sunt edita ». (Cf. Fratres Ballerinius Oper. S. Leonis Tom. III. De Antiquis Canonum Collectionibus P. I. c. 5). Editionem Canonum dionysianam exhibemus.

Prior ex his tribus canonibus is est: « Osius Episcopus dixit... quod si in aliqua provincia aliquis Episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit, ne unus de duobus ex alia provincia Episcopos advocet cognitores. Quod si aliquis Episcopus indicatus fuerit, et putat se bonam causam habere ut iterum concilium renovetur; si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt, Iulio Romano Episcopo, et si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur et det iudices: si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quae acta sunt, quae decreverit confirmata erunt: si hoc omnibus placet? Synodus respondit: placet ».

Alter: « Gaudentius Episcopus dixit: addendum, si placet, huic sententiae, quam plenam sanctitate protulistis, ut cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum iudicio qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma: alter Episcopus in eius cathedra, post appellationem eius, qui vide-

(1) Intolerabilis est porro audacia, ne insipientiam dicam, Illustrissimi de Marca (op. cit. L. VII, c. 3) qui negat fuisse concilium celebratione oecumenicum, quia antequam Concilium foret constitutum, divortium fecerunt Orientales; nimirum 80 Arianis, qui Philippopolim secesserunt. At manserunt tamen non pauci alii graeci, ut ex subscriptionibus evidens est. An ergo Concilium desinit esse oecumenicum, quia haeretici recedunt? Id quidem gratissimum Protestantibus.

tur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Romani Episcopi determinata ».

Tertius: « Osius Episcopus dixit: placuit autem ut si Episcopus accusatus fuerit, et iudicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, et de gradu suo eum deiecerint, si appellaverit (graece: veluti appellans confugerit etc.) qui deiectus est, et confugerit ad Episcopum Romanae Ecclesiae, et voluerit se audiri: si iustum putaverit (Episcopus Romanus) ut iudicium renovetur vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua provincia suat, ut ipsi diligenter omnia inquirant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi (Romani) quid velit, et quid aestimet: et si decreverit mittendos esse, qui praesentes cum Episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit Episcopos (provinciales) sufficere ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicaverit. Responderunt Episcopi: quae dicta sunt placuerunt ».

Ut sensum canonum clare assequaris, adverte quoad 1^m olim eam consuetudinem exstitisse ut cum Episcopus damnatus in Synodo Provinciae audiri rursus postularet, ad alios iudices se convertere potuisset: Concilium vero Antiochenum statuisset canone XII ut deberet *se convertere ad maius Episcoporum Concilium*, et quae putaverit habere iusta *plurimis Episcopis suggerere*, eorumque discussiones ac iudicia praestolari. Cuiusmodi vero erat istud maius Concilium. Zaccaria (Antifeb. p. II, L. 3, c. 3.) ait fuisse coactum ex Episcopis vicinarum provinciarum, quos Metropolitanus Episcopi damnati convocabat ut in secunda instantia iudicarent. Idque probat ex canone Antiocheno XIV (De vi Canonum huius Synodi cf. Fratres Ballerinius oper. S. Leonis Tom. III, p. I, c. 4, §. 2): « Si quis Episcopus de certis criminibus iudicetur, et contingat de eo provinciales Episcopos dissidere, cum iudicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis, pro totius ambiguitatis solutione Sanctae Synodo placuit ut metropolitanus Episcopus a vicina provincia (ἐπαρχία) iudices alios convocet, qui controversiam tollant, ut per eos simul et per provinciales (τῆς ἐπαρχίας) Episcopos quod iustum visum fuerit approbetur ». Atqui legenti hunc canonem evidens est ibi non agi de hypothesis quod sententia iam lata sit a provincialibus Episcopis in prima instantia, et Episcopus damnatus aliud iudicium petat, in quo rursus causa sua iudicetur in secunda instantia; sed agi de alia prorsus hypothesis, nempe quod in iudicio primae instantiae Episcopi provinciales dissentiant, et propter dissensum nequeant ferre sententiam; et ita in-

tellexit Hadrianus I. et antiquus epitomator graecus (cf. Schelstrate Sacr. Conc. Antiochenum in h. l.). Nec videtur posse praecipui simpliciter, ut priores iudices iudicent rursus simul cum secundis, quod tamen dicendum foret praeceptum, si ad hanc alteram hypothesim canon XIV pertineret. Hac animadversione nolumus dicere quod falsa sit sententia Zaccaria, nimirum secundam Synodum, quae in secunda instantia iudicaret, coactam fuisse ex Episcopis finitimarum provinciarum, sed tantum quod ea sententia canone illo XIV non probatur, quem solum Zaccaria expresse citat. Ceterum ea sententia certe probatur per alterum canonem Sardicensem allatum: ibi enim dicitur Episcopus depositus *iudicio Episcoporum qui in vicinis locis commorantur*: porro huiusmodi iudicium non potuit iure esse in prima instantia, cum evidenter id metropolitano eiusque concilio competere. Erat ergo secundum iudicium quod instituebatur, cum reus bonam causam se habere putaret. Igitur iudicium in secunda instantia ex vicinis Episcopis alterius provinciae cogebatur.

Porro Synodus Sardicensis canone priore quoad iudicia Episcoporum haec statuit. 1) Quod si quis Episcopus habet litem contra alium Episcopum eiusdem provinciae, neuter ex iis vocet iudices ex alia provincia Episcopos; sed in prima instantia iudicent Episcopi provinciales. 2) Si in iudicio provinciali aliquis Episcopus damnatus fuerit, isque existimet se habere bonam causam ut iterum iudicium fiat; ii qui iudicarunt, scribebant ad Romanum Pontificem, qui si censuerit renovandum esse iudicium, destinet iudices, a quibus renovetur: si vero censuerit non opus esse causam rursus iudicari, valeat quod ipse decreverit. 3) Id Patres Sardicenses statuere se dicunt, ut h. Petri memoria honoretur. Itaque a) hic non est sermo de appellatione ad Romanam Sedem; non dicitur: *Si reus appellaverit ad Pontificem, vel quod possit appellare*: et sane si hypothesis appellationis ageretur, non iudices, sed reus, aut ipse certe scribere deberet ad Romanum Pontificem. Agitur ergo ea hypothesis tantum quod Episcopus causa cadens in prima instantia postulet aliud iudicium. Hoc alterum curae erat metropolitano qui a finitimis provinciis Episcopos vocabat: Sardicenses autem statuunt hoc alterum iudicium committendum esse curae Romani Pontificis, cuius sit 1) iudicare an oporteat iudicium instaurare, 2) dare iudices, si putat renovandum iudicium. Iam vero primum non poterat praestari a Pontifice nisi causa cognita; huius ergo notitia referenda erat ei a Synodo provinciae quae iudicaverat: alterum est actus superioris iurisdictionis, nec limitatae, ita ut debuerit hos vel illos iudices assignare, puta Episcopos provinciae vel finitimos, sed illimitatae: *det iudices* inquit, nempe quos ipse velit. Versio quidem graeca habet

« et per propinquos provinciae Episcopos, si opus sit, iudicium renovetur, et cognitores ipse (R. P.) praebat » ut scilicet in potestate sit Romani Pontificis eligere ex vicinis Episcopis, quos velit, et ita secunda synodus adunetur ex vicinis Episcopis: quod canoni sequenti congruit. Huiusmodi autem decretum statuens ut pro secundo iudicio scribatur Romano Pontifici, ipseque decernat an sit habendum, et si censet det iudices, aliquid novi constituit: quae quidem novitas non est posita in iure aliquo concesso Romano Pontifici, sed in exercitio iuris, quod exercitium necessarium non est, et prius non exstabat; est tamen maxime conveniens iuribus Primatus. Scilicet Romanus Pontifex propter Primatum iurisdictionis in omnes Episcopos iure divino ipse est iudex Episcoporum: et cum iure divino non sint in Ecclesia nisi Episcopi et Romanus Pontifex successor Petri in Primatu, ceterae autem dignitates Metropolitanorum, Patriarcharum etc. sint iure tantum ecclesiastico, quod a Romano Pontifice pendet, nec ius eius divinum limitare potest; ipse Romanus Pontifex iure divino est iudex Episcoporum etiam in prima instantia. Verum institutis iam ad initio Patriarchis, et metropolitanis deinde, iisque vocatis in partem sollicitudinis quam circa Episcopos gerit successor Petri, his datum est ut in suorum Episcoporum Concilio causas Episcopi in prima instantia iudicarent; secundum vero iudicium haberetur a finitimis Episcopis vocatis a metropolitano. At Sardicenses statuunt ut huius alterius iudicii dispositio permittatur Romano Pontifici, qui ius, quod a Christo habet, libere quoad illud exercent. Novam fuisse legem huius disciplinae liquet tum ex eo quod prius ea non compareat, tum ex verbis quibus proponitur: *Si vobis placet, b. Petri memoriam honoremus*. Eaque disciplina admodum rationabiliter est inducta. Romanus enim Pontifex ratione sui Primatus potest vicinos Episcopos vel alios cogere ut iudicium instaurent eis auctoritatem superiorem vere impertiri: quae quidem facere non poterat metropolitanus, qui in aliena provincia iurisdictionem non habebat; sed solum poterat petere et invitare: iurisdictionem vero alieni Episcopi a lege vel consuetudine obtinebant.

Diximus novam fuisse legem huius disciplinae; et fuit nova tantum quoad hunc specialem casum, ut iudices secundos daret Pontifex, ipseque decerneret an renovandum esset iudicium, nec ne. Ceterum iam antiquitus canon et consuetudo exstabat, ut in causis Episcoporum, saltem praecipuarum sedium, sententia ultima a Romano Pontifice ferretur. Ita Iulius I epist. ad Orientales in causa Athanasii, Marcelli Episcopi Ancyrae, Asclepae Episcopi Gazae, qui ab Arianis depositi fuerant: « Nam si, ut dicitis, in culpa fuerunt, oportuit *secundum canonem*, et non isto modo iudicium fieri: oportuit

scribere omnibus nobis (Synodo Romanae) ut ita ab omnibus quod iustum esset decerneretur. Episcopi enim erant, et non vulgares Ecclesiae, quae ista patiebantur; sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerunt. Cur igitur et in primis de alexandrina civitate nihil nobis scribere voluistis? *an ignari estis hanc consuetudinem esse ut primum nobis scribatur, ut hinc quod iustum est definiri possit?* »

Coroll. Errant ergo qui putant heic novum ius conferri a Synodo Pontifici; nam ius, cuius exercitium heic decernitur, divinitus inest Romano Pontifici, sicut cetera iura Primatus; idque significare Patres Sardicenses censendi sunt cum aiunt: *b. Petri memoriam honoremus*, si credendum est eosdem perspectas habuisse praerogativas divinitus collatas Petro. Si enim res ita se habebat, ut certe se habuit, honor delatus memoriae b. Petri in eo est situs ut exercitium sui iuris synodali iudicio declaretur et vindicetur. Errant proinde qui censent heic primum ab Ecclesia consensum esse Pontifici ius recipiendarum appellationum, et tale ius ei idcirco competere non ex institutione divina, sed ecclesiastica; errant, inquam, quia in hoc canone de appellationibus ne verbum quidem: frustra proinde sunt et inepti, qui ut illud ius divinum negent, provocant ad ea verba *b. Petri memoriam honoremus*, quibus aliquid novi statui significetur.

In secundo canone distinguenda est pars narrativa a parte dispositiva. Ea complectitur speciem casus, seu factum quod supponitur, circa quod suffragium ferendum non versatur; haec docet quid in eo casu faciendum sit. Porro ad partem narrativam haec spectant: nimirum quod aliquis Episcopus depositus iudicio Episcoporum vicinorum proclamet agendum sibi negotium in urbe Roma, sive appellet ad Romanum Pontificem. Pars dispositiva haec est, quod post appellationem eius alter in eius cathedra omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani terminata. Iam vero ex hac simplici canonis inspectione haec liquent. 1) Agitur heic de Episcopo deposito in secundo iudicio, quod a vicinis Episcopis habebatur. 2) Cum mentio disciplinae appellationum spectet ad partem narrativam canonis, circa quam deinceps Patres Sardicenses aliquid statuunt, et cum tamen non statuunt licere appellationes, sed illud tantum quod eo iure supposito consequens est; patet supposuisse Patres quod citra quoque ullum eorum decretum ius haberent Episcopi appellandi Romam, iusque haberet Roma excipiendi eorum appellationes. Patres quidem Sardicenses ratum habuerunt hoc ius: nam a) qui a iudicio in secunda instantia depositus est, post appellationem suam ad Romanam Sedem, non iam dicitur depositus, sed *qui videtur esse depositus*:

b) tribuunt appellationi effectum suspensivum, ut sententia praecedens non adducatur in praxim: c) causa nondum finita dicitur, sed terminanda a Romano Pontifice, d) terminanda vero in iudicio Episcopi Romani, h. e. in eius tribunali. Atqui haec est professio vere dictae appellationis, iuris nempe quod habent Episcopi appellandi ad Romanam Sedem, iurisque quod habet Romanus Pontifex recipiendae appellationis, quae sit appellatio proprie dicta, non sola potestas concedendi revisionem causae. Nam termini in propria significatione sunt accipiendi, praecipue cum leges seu canones conduntur, et maxime si sint termini legales: porro huiusmodi est *appellare*, cuius significatio in foro civili notissima erat. Praeterea appellatione interposita, causa iudicanda erat in ipso tribunali Romani Pontificis, vel ius ad id ipse habebat: dicitur enim: « nisi causa fuerit *in iudicio Episcopi Romani determinata*, » et, « proclamaverit *agendum sibi negotium in urbe Roma* »; iudicium ergo Romae instituebatur, Episcopus ergo Romanus iudicabat, non tantum mittebat iudices delegatos qui in loco prioris iudicii causam agnoscerent et iudicarent. Tandem Romanus Pontifex in suo iudicio poterat irritare sententiam priorem; haec enim est ratio cur ille depositus appellabat, et haec est ratio cur prohibeatur ne alius interea ordinetur: per sententiam autem Romani Pontificis causa terminabatur. Atqui hi sunt characteres proprii appellationis: ergo ius verarum appellationum recipiendarum vigeat in Romano Pontifice ante Concilium Sardicense cunctisque Ecclesiis notum erat; huiusque iuris non auctores sed testes sunt Patres Sardicenses.

Dices: in lectione graeca huius canonis desunt ea verba, *appellationem, et in urbe Roma*. Respondeo 1) quod canones latine sunt editi: 2) et si ea verba desint, sensus tamen est idem. Ait enim: « si quis Episcopus... dicat rursus sibi defensionis negotium competere, non prius in cathedram alius substituatur, quam Romanus Episcopus causa cognita sententiam tulerit. » Causa ergo cognoscenda a Romano Episcopo, ab eo sententia ferenda, ante hanc nihil innovandum: negotium ergo defensionis competens reo erat provocatio ad iudicium Romanae Sedis: ad eamque appellabat qui hanc defensionem sibi competere dicebat.

In tertio quoque canone distinguenda est pars narrativa a dispositiva. Prior est si episcopus iudicatus fuerit in Synodo provinciae suae et depositus fuerit, atque appellaverit et confugerit ad Romanam Sedem. Ex quibus verbis liquet agi heic alteram hypothesim a praecedente. Heic enim agitur de appellatione quae interponatur post primum iudicium; sermo est enim de sententia lata ab *Episcopis regionis ipsius* h. e. provinciae Episcopi depositi, quod erat

iudicium in prima instantia. Ex ipsa indole rei, et structura sermonis patet iudicem, ad quem appellare is dicitur, esse Romanum Pontificem: « si appellaverit qui deiectus est, et confugerit ad Episcopum Romanae Ecclesiae »; nam iudex appellationis significandus erat, ut deinceps certi aliquid super ea specie facti posset constitui: verba autem: *ad Romanae Ecclesiae Episcopum*, ad utrumque verbum *confugerit* et *appellaverit* per se referri possunt, ac per alterum verbum *confugerit* ipse scopus appellationis significatur, ad se tuendum scilicet ab iniusta sententia. Quod quidem confirmari potest lectione graeca quae actionem unam pressius significat: *και ὡσπερ* (1) *ἐκκαλεσαμενος καταφυγη ἐπι κ. τ. λ.* et veluti appellans confugerit. Ineptum porro est contendere ibi de proprie dicta *appellatione* sermonem non fieri, quia dicitur *veluti appellans*, non simpliciter *appellans*, ac si proprie non appellet, sed aliquid simile appellationi faciat. Nam particula *ὡς* vel *ὡσπερ* (quae significationes omnes *του ut* latini habet) non habet tantum sensum, ut ita dicam, *approximativum*, sed et *reduplicativum*, vel *identitatis*, ut proinde sit ac *quatenus*, quippe qui: *εἰ ὡς ἐκκαλεσαμενος καταφυγη* si quatenus appellans confugerit, seu si confugerit, quippe qui appellaverit: nimirum, si appellando confugerit. Hunc vero certum sensum subesse iis verbis et ex lectione originali latina liquet, et ex collatione cum canone praecedente liquere potest.

Iam vero ut intelligatur quid Patres Sardicenses constituerint, recolendum est, moris tum fuisse ut secundum iudicium a Synodo finitimorum episcoporum institueretur; quamvis autem esset in potestate Romani Pontificis iudicare in secunda instantia sicut etiam in prima; huiusmodi tamen ordo ut a tribunali immediato ad immediate superius appelletur, utilis est et rectus, atque a lege tum civili tum canonica constitutus. Est ergo ratio sufficiens cur Romanus Pontifex hunc ordinem servari velit. Porro in hac specie casus qui a iudicio primae instantiae ad Romanum Pontificem appellaret, saltum faceret, praetermisso tribunali proxime superiore. Hinc quoniam eam consuetudinem, quam canone primo ad meliorem quoque formam reducerant, abolere nolebant, sequentia statuunt, quae satis sunt clara. In quibus illud praesertim advertendum est quomodo nempe loquantur; nihil enim *imperative* dicunt, sed consilium suum proponunt relinquentes Pontifici totius rei arbitrium: « Scribere his episcopis *dignetur... erit in potestate Episcopi* (Romani) quid ve-

(1) In iure graecorum edito a Cardinali Pitra Tom. 1^o, pag. 404, lectio codicum, excepto uno Parisiensi, est *ὡσπερ*, qua lectione constructio non admodum plana videtur: sensus tamen non mutatur.

lit, et quid aestimet... *erit in suo arbitrio... faciet quod sapientissimo suo consilio iudicaverit.* » Haec autem loquendi ratio testimonium est persuasionis totius illius Synodi quod nullam ipsa haberet potestatem coactivam in Romanum Pontificem; et esset in potestate eiusdem aliter ac ipsi consulebant agere, ac causam per se ipsum, praetermisso secundo iudicio episcoporum finitimorum aliorumve, Romae iudicare.

Porro ex his constat a Patribus Sardicensibus 1) tanquam testibus nos certiores fieri consuetudinis praecedentis, et iuris Romanae Sedis tum appellationes recipiendi, tum iudicandi causam appellantis in suo tribunali: 2) ab iisdem tanquam iudicibus decretis suis idem ius confirmari. Horum certe canones citabat Gelasius, cum aiebat ep. IV. « Ipsi sunt canones qui appellationes totius Ecclesiae ad huius Sedis examen volvere deferri. » Hoc ius recipiendi appellationes et per se iudicandi in causis huiusmodi, non secus ac convocandi Synodos oecumenicas etsi Patriarchae dissentiant, defendit in Concilio florentino adversus graecos Eugenius Sess. XXV. Hactenus explicata si advertisset Hincmarus Remensis turbulentus homo, et quo arrogantior in subditos eo irreverentior in Romanum Pontificem, non ita hos tres canones esset interpretatus, ut Romanus Pontifex appellationem episcopi excipiens non deberet causam ipse iudicare Romae, sed iudices dare qui in provincia iudicarent (Opusculo LV. capitulorum adversus Hincmarum Laudunensem episcopum. c. 5). Quasi vero verba secundi canonis, quem Hincmarus recitat ut nos recitavimus, clara non sint; et tertius canon, quo abutitur, ad eandem speciem facti spectet ac secundus, ita ut iste per illum sit enarrandus; atque in tertio canone aliquid statuatur, quo Romanus Pontifex obligetur.

III. Et sane ante Concilium Sardicense Episcopi ad Romanam Sedem appellarunt, ibique causa cognita et sententia lata fuit a Romano Pontifice. Ad appellationis factum quod spectat quaestio est an appellaverit Romam Athanasius alique episcopi cum eo qui plura iniuste passi erant ab Eusebianis. Appellasse Athanasium dicit Liberatus Diaconus scriptor sec. VI in Breviario c. 18 inquit de Iohanne Talaia quod « sumptis synodice literis Romanum Pontificem Simplicium appellavit, sicut b. fecit Athanasius. » Verum concedendum arbitramur quod si formae iudicialis ratio habeatur non videatur vera fuisse appellatio. Nam 1^o appellatio est ad superiorem a sententia iudicis inferioris cuius auctoritas aliquo modo admittatur, et sententia acceptetur. Secus autem si inferioris iudicis nulla ratio habeatur, et postea ad superiorem recurratur ut ipse causam iudicet, vera appellatio locum non habet: atqui hoc altero modo se gessit